

### III.

## REGNUM MORTUORUM.

Nro. 31.

---

Elysiun-Meum. Die Veneris. 11. Maji. 1810. (Næv. 24. Apr. 1810.)

---

Judæus perpetuum oberrans.

*D i c a b u l u m.*

Oberrat instar perpetui Judæi.

Proverbium.

**E**nleves quassdam adumbrationes ex prisca morum descriptione piarum fabularum! — Narratio de oberrante ex tempore p sionis Christi usque novissimum diem in orbe, & nunquam morituro Judæo in multis Europæ ditionibus diffusa, imo memorato supra diverbio probata & firmata est. —

Diversi generis dantur in hoc orbe fruges consumentes ad nullum Coetum pertinentes & ad morem perpetui Judæi fortunam quæritantes. Emigratio tam piæ memoriæ & excelsa, quam plebeja id genus peregrinantes censet — & post tempora perpetui Judæi præcursoris, numerosos produxit. Etenim quisque pera *spis* dorso imposita *melioris*, em gravit, at lepidus, non genuinus erat perpetui peregrinatoris imitator. —

At, quæso, ut narratio hæc in vulgo ad diverbium usque invaluit? res non constat, uti Legendorum omnium natura est, concordii auctorum sententia.

Aliqui dicunt: Christo ad mortem dāto: cum opere crucis fesso ante fores sutoris, cui Ahasveros nomen, paulum quiescendi voluntas esset, tenebrionem hunc pro-siluisse & salvatorem facessere iussisse, quo facto coelestis patiens ad eum coaversus agebat: Equidem ꝑ̄hic requiescere volo, tibi vero facessendum & usque revertero, ambulandum sit — & ex eo tempore quæ homini nulla, sed continuo oberrandi necessitas.”

Aliam narrationem textit *Matthæus Parisiensis* Monachus Seculi XIII. in hunc modum. „Cum Christus ex prætorio Filati ad supplicium duceretur, Janitor nomine Carthaphilus pugno eum insecutus dicens: Progredere — festina — quid cunctaris? Christus hominem acriter intulit: agebat: Equidem vado, at tibi expectandum usque sit, quo venero. — Et hic homo hodièdum vivere dicitur oberrare de loco in locum, tempus continuo in metu & anxietate usque exigere, quo in novissime die salvator adparuerit.

Narratio tertia addit: Judæum hunc errantem singulis 100 annis læthali morbo corripit, at convalescere rursus pristinaeque formæ restitui ex quo fit: quod ex 18 Sæculis senior non adpareat homine septuagenario. —

An horum Legendorum falsitas serio refellenda? — Nullus auctorum veterum vel syllaba talis historię meminit, apud nullum vel vola vel vestigium idmodi narrationis-

Primus mentionem facit monachus Sec. 13. quo orbis commentis ad excessum usque redundabat. — Interim commentum usque se se diffudit, & propagatum est, ut in proverbium abierit: Oberrat instar perpetui Judæi."

Sed non desunt homines, qui Judæum hunc ambulatorium oculis usurpasse asserunt; at si eorum fides ad historicæ probabilitatis fructum adpendatur, patet perpetuo oberrantem Hebræum esse callidum impostorem, quales plures deprehendere est, qui simplicibus hominibus, quæ committuntur, imponere gestiunt. Sic anus narrat perpetuum Judæum hic & ibi visum fuisse.

Imo & ego ipse talem continuo oberrantem Judæum vidi, & cum eo locutus sum. Anno 1784 regis obsita anus me adibat stitem pro Judæo perpetuum ambulante petens, quid, ajebam, pro Judæo perpetuo? — Ita reponebat, jacet ibi in tugurio meo periculose ægrotat, non morietur tamen — rei curiosus accedo locum, & reapse reperio hominem 30—34 annorum, ægre decumbentem — animadverti: Judæum oberrantem non tam juvenem, sed minimum secundum vetustam narrationem septuagenarii vultum præ se ferre debere, „id quidem” reponerat ille, ita est, nihilominus sum perpetuum oberrans Judæus, curavi eum sanitati restitui, comperique ex propria hominis fallione, eum malæ frugi Candidatum Theologiæ fuisse. Dedi ei consilium aliquid de Judæo per-

petuum obeunte edendi, & Bibliopolis vendendi; quod reapse fecit, vulgavitque dissertationem, sub titulo: *Judæus continuo oberrans* at brevi post opusculum perpetuum Judaicum interiit & evanuit.

Hodie videre & experiri licet: nonnullos scriptores anxios esse, quem titulum volantibus Chartis suis præfigant. — Jam omnes ex Olympo Dii excitati sunt in subsidium — an non apta Ephemeridibus foret inscriptio: *Judæus sempiternus*, scriptum periodicum — quæ iis instar hederæ præfigeretur? — Sane nequit excogitari aptior & adcommodatior titulus — hæ Novellæ possent pro iustituti sui ratione fini & nomini suo convenienter totum late patentem terrarum orbem ad exemplum sempiterni Judæi pervagari, atque relationes colligere. Nemo non curiositate teneretur relationes æternum obeuntis Israelitæ legendi.

Si politica negotia orbis cum politico sempiterno Judæo comparandi animus esset, primum, quod animo expendendi se offerret, foret perpetuum bellum maritimum Anglorum. Verum disparitas cubat in eo: quod Judæam perpetuum nusquam, bene vero, perpetuum maritimum bellum per diversas carências — in ore per defectum & caritatem Coffeæ, & in corpore, per pretium unice roborantis & nondum surrogati Corticis Peruviani sentiamus. — At nihil in humanis rebus perpetuum, quo fiet, ut nec bellum isthoc perpetuum duret.

Jam jam publicis paginis inexpectatum continetur nuncium.

*Morlaeo* (12. Apr.) Duo Anglici Commissarii oram ingressi, eorum missio, cujus ratio captivorum bello redemptio perhibetur magnam isthic excitat lætitiã, Cras Parisios discessari feruntur. — *Mourvelais, Morlaix.* (Mons relaxus) sita in vetere Britannia (minore) hodie princeps provinciæ Finis terræ ad flumen ejusdem nominis.

Adventum hunc lætiferum fuisse nequam mirum, etenim 1) *Morlaei* ex multis annis Anglus non visus — 2) naturalis spes concipi potest: tractatum redemptionis alium quoque consensurum, quod saepe numero usu venit, communicationem unam alterius accipiendæ occasionem fuisse.

Id vacat dubio: saepe defectu communicationis quamdam consensionem, quæ sub ejus tractatu oriri & fortuito procurari potuisset, in irritum versam atque summotam fuisse; ita exempli gratia, si illusionem Judæi perpetue circumeuntis sequeremur, nonnulla venerabilis aæus affirmare posset: eum iocirco in Continente non reperiri, quod hodie in Anglia vegetur, & ob difficilem communicationem ad nos transfretare nequeat.

Interim singularis hodie in Anglia adjunctorum ratio est — non tam pacata, quam apud nos in Continente — ubi omnia ad unum finem — utpote: adversus maritimam Britannicam præpotentiam — conspirant. — Age! novissimos tumultuarios Londini adus pauxillum dispiciamus! —

*Londini 11. April.* Expediti a Curia Inf. adversus D. Franc. Burdett litteræ adprehensionem indicantes, actus tumultuarios excitabant hesternum usque durantes. Jam die 7. pom. ita dicta lex violentiæ, (Ristacte) qua violentiam adhibendi in eos potestas datur, qui a Politia provocati ad decedendum & non obtemperant, in vico Piccadilly prælecta est, tardius cum undique regulares copiæ & voluntarii coacti fuissent, effectui etiam data. —

Plebs lapidum & luti jactu adversus militiam se defendere primum, quæ in sua parte potissimum planam gladiatorum partem adhibebant, circa 9 vesp. vero plures pistoletarum explosiones & sauciati aliqui advertentur. — Eodem modo dies 8 hujus exactus — die tandem 9 mane mane tormentarii sub duce suo domum Burdettii penetrare, mox quadrijugo sub valido equestris militiæ comitatu ad turrim delatus est. — Cujus actus nunciis vix innotuit, plebs turmatim ante turrim congregari, ubi vero præparationes omnes factæ, ut aliquid molliendi animum deponeret; nihilominus postremam Centuriam Prætorianorum equestris e turri reduntium lapidibus insecuta, quæ pistoletarum suarum usum fecit, quo facto unus interemptus, plures graviter, copiosi leviter sauciati sunt. Hodie quies reducta est. Litteræ D. Burdetti ad Oratorem Curis Infer. gravibus disceptationibus in ea ansam præbuere. — Tandem unanimiter conclusum: litteras has

lesionem Curiaē continere, at eam a sine alie-  
rum reputare ei porro immorari cum D. Bur-  
dett jam turri contineatur.

Ex parte Regis prodierunt proclamatio-  
nes, quibus præmium 500 Lib. St. illi addi-  
citur, cujus opera illi adprehendi possunt,  
qui fideles Sux Maj. ad subditos, Jussa Po-  
litiaē officialium exequentes jaculati sunt.

Verum est quidem: id genus actus tragi-  
cos in Anglia haud raros esse, at quod ipso  
hoc tempore, quo sinistrae expeditiones in  
Valchiam & Hispaniam constant, erumpant,  
id quidem attentionem excitare debet. Argu-  
mentum: plebi summopere Ministros displi-  
cere.

Alia animadversio suapte observanti oc-  
currit: Plebs Anglicana suum virum, suum  
idolum in repræsentantium Choro habere i. e.  
in factione oppositionali plebicola esse, debet.

Ex tempore excessus defuncti Foxii ex  
Curia inf. & transitu ad Ministerialem factio-  
nem oppositio vulgaribus solum hominibus  
constabat. Deerat vir, qui Foxii vices agere  
posset. Fox factus dein Minister omnibus  
adversantibus os clausit, nemo enim adver-  
sus talem virum vocem attollere ausus est.  
Eo fati functo oppositio quasi exarmata fuit,  
eratque Canningio levis labor Consilia sua  
ministerialia (quæ tamen continuo sinisterum  
exitum habebant) ad effectum perducendi.

Jam v/ro comparet vir D. F. Burdett in  
oppositione plebicolam agendi animo. Scripta  
varia, volantia vulgo dicta, adversus regimen

varia, volantia vulgo dicta, adversus regimen edidit. Cum deputatus W. Monast. esset, ad redd. rationes attractus editorum eorum se candide & proterve fassus. D. Lethbridge ea ut seditiosa & dignitatem Conventus laudentia declarabat. Multis post disceptationibus 33 votorum pluralitate decretum: D. F. Burdett Londinensi Turri includendum esse, hinc ignominie eximere representantem suam plebs W. Monasteriensis voluit, hinc illi tumultus & tragicæ scenæ. —

Burdett igitur plebicola est, ut olim Foxius erat. An vero antecessori suo ingenio par sit, sunt, qui ambigunt, ex eo: quod volantes diffamantes libello: in vulgus edere maluerit, quam publice in Conventu eloquentiæ & dexteritatis specimina dare — præbuit quoque sua renitentia virium conspicuarum argumentum, quod plebi placet, & 800000 Libr. annui reditus amplum præpondium ei conciliant hodierna in orbis moralitate, qua dici potest: *Aurea nunc sunt — sæcula, — plurimus auro — venit honos, auro conciliatur amor.* —

Interim Burdett in turri arte custoditur.

*Insulani.*

Itinerans quidam 25 annis diversis immoratus Insulis animadvertit: quosvis Insulanos magnifice de se sentire, & opinari. An ratio est securitas & quod aquæ eos ambiant, quas cunctis munimentis præstantiores arbitrantur? — Negant id divisi orbe Britanni — sed causam assignant suas *Classes.* —